NUllum ab immortali DEO, PATRES PATRIÆ, PATRONI SUMMI, tantum bonum mortalib9 tributũ esse, quin fastidiverint alii, alii perversè oderint, fateantur oportet, quicunq; mentis aciem per antiqua secula circumferunt. Jam olim Seneca dixit, excellentis ingenii atq; doctrinæ vir: *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est.* Nihil tam ingeniosè unquam excogitatum, nihil ad utilitatem communem adeo paratum, quod Aristarchorum effugiat censuram. Vix quisquam ita sibi parũ tribuit, ut de rebus supra vulgi sensum positis ferre sententiam non audeat. Ignaviſſimus quisq; confidentiſſimè judicat, & quicquid inscitia non capit, temeraria calumniatur. Scilicet juxta vetus verbum: ῥᾴον ἐστι μωμήσασθαι, ἢ μιμήσασθαι. Quid tandem ad vitam formandam historiâ utilius? quid ad res civiles rectè ordinandas conducibilius? quid felicius ingenium erudit? quid judicium exactiùs præparat, instruit, acuit? quid ad virtutes animis inserendas exemplis efficacius? ad exstirpanda vitia potentius? Hæc deditos sibi ad Reipublicæ, ad Ecclesiæ munia ritè & utiliter exsequenda idoneos reddit. Ut rectiſſimè civili prudentia nulli secund9 Polybi9 judicaverit, μηδεμίαν εὐπορώτεραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης, *nullam esse* (uti Casaubonus vertit) *mortalib9 ad proficiendum viam expeditiorem, rerum antè actarum scientiâ.* Et paucis interjectis, omnium consensu constare, ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐξ ἱστορίας μάθησιν. ἐνεργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν; *historiæ conditionem* (sic idem interpretatur) *verissimam esse disciplinam, et veluti,*

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 180, [11] - -
PUBLIC DOMAIN